DE RERUM AB AGRICOLA IN BRITANNIA GESTARUM NARRATIONE TACITEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA RUPERTO-CAROLA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PHILIPPUS PAUER

GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXXXI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

Eam libelli Taciteï de Julio Agricola partem, quae res in Britannia gestas continet, magnopere et a priore et a tertia differre plerique interpretes et editores suo iure annotaverunt. Nam cum tota vita contineatur quadraginta sex capitibus, imperium Britannicum spatium non plus septem annorum comprehendens undetriginta capitibus illustratum est. Deinde vero multa in hac libelli parte insunt, quae aut ad vitam Agricolae componendam parum pertinere aut dicendi genus a vita enarranda alienum prae se ferre videantur. Accuratissime de ea re egit Andresen in dissertatione, quae inscribitur: 'Die Entstehung und Tendenz des Taciteischen Agricola.' (Separatabdruck aus der Festschrift zur dritten Säcularfeier des Berlinischen Gymnasiums zum grauen Kloster. Berlin, Weidmann. 8. 24 S.) Is quaecunque praeter longitudinem in media Agricolae parte offendant, ita comparata esse, ut ad historiam potius quam vitam scribendam pertinere videantur, rectissime disseruit. Ac praecipue hosce locos orationem atque colorem rerum magis quam vitae scriptoris proprium prae se ferre exposuit:

1. descriptionem Britanniae insulae et eius incolarum;

2. historiam rerum a Romanis ante Agricolam in Britannia gestarum;

3. nonnulla a vita moribusque Agricolae illustrandis aliena, ut ea, quae cap. 14 de Hibernia insula, cap. 17 de militum iactationibus, cap. 25 de navalium et terrestrium copiarum commercio et aemulatione, cap. 37 de Auli Attici nece legantur;

4. Calgaci et Agricolae orationes;

5. fugam Usiporum.

Atque ea ratione disputationem instituere liceat, ut primum, qua ratione ductus Tacitus in media libelli parte illustranda tam longus fuerit, deinde, qui sit factum, ut in hac parte rerum potius quam vitae scriptorem ageret, explicare studeam, postremo de compluribus eorum locorum, qui aut omnino non pertinere videntur ad vitam illustrandam aut ita comparati esse, ut potius res in Britannia insula gestas enarrent quam facta moresque Agricolae, accuratius agam.

Sed priusquam de his rebus quae mihi proposui exponam, breviter indicandum est, quid de consilio, quo hic liber conscriptus esse videatur, sentiam.

Ac probandam esse Urlichsii [1]) sententiam putaverim, qui id egisse Tacitum in componendo Agricola statuit, ut vitam soceri carissimi et dilectissimi, quem ex animi sententia virum domi bellique magnum duceret et cuius facta moresque pulcherrimo laudis monumento

---

1) *Phil. Anz.* 7. p. 155.

digna existimaret, pio animo atque summa fide enarraret. Quod Andresen sub finem eius, cuius inieci mentionem, dissertationis probare studuit Tacitum non sola pietate ad vitam Agricolae componendam ductum esse, sed etiam ea ratione, ut socerum optimam in re publica viam secutum esse Romanis probaret et, quid ipse sentiret de re publica, illustraret, coniecisse id potius videtur quam demonstravisse. Probavisse Tacitum ex animi sententia soceri consilia rei publicae capessendae ac nonnullis Agricolae locis, quid ipse de re publica sentiret, significasse constat, neque tamen illa eum in scribendo libro ratione ductum esse putaverim, sed ideo potius illud fecisse videtur, quia res ita ferebat.

Iam ad eam, quam solvendam mihi proposui quaestionem, accedam.

Quod Tacito propositum erat in componendo libro, ut soceri laudes illustraret et celebraret, id enarrandis vitae partibus legationem Britanniae sequentibus et antecedentibus eum nullo modo assequi potuisse non difficile est ad demonstrandum.

Educatio Agricolae et prima militia fere eadem fuit atque omnium puerorum honesto loco natorum nec depingendis eis laudes eius exornari potuisse per se intellegitur.

Fere idem iudicandum est de primo honorum cursu. Quod quaestor largitioni atque libidinum illecebris restitit, etsi laudabile fuit, tamen in meritis memoratu dignis ducendum non erat; fere nimium fuisse Tacitum in ornanda ista abstinentia atque integritate Urlichs [1])

---

1) Commentatio de vita et honoribus Agricolae. Wirceburgi 1868. p. 13.

leviter significavit, alii gravissime exprobraverunt. „Inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transactum esse atque eundem praeturae fuisse tenorem ac silentium“ ipse Tacitus testis est. Ac ne illo quidem munere, quo Galba imperatore functum eum esse edocemur, magnam ei apud Romanos laudem partam esse, immo invidiam et odium Hoffmann [1]) luculentissime demonstravit.

Legationem Britannicam illustrans triplici laude socerum Tacitus exornat: primum quod legionem seditiosam ad officium reduxerit, deinde quod Vettio Bolano proconsule vim suam ardoremque compescuerit, denique quod Petilii Cerialis auspiciis egregie officium suum administraverit. Sed primam illam laudem disciplinae militaris ad priscos mores redactae non ita magnam fuisse ipsius Taciti verba videntur indicare. Nam ex eis, quae sunt: „ubi decessor seditiose agere narrabatur“ facile conicias legionis seditionem ac tumultum non sine vitio et culpa prioris ducis ortum esse, quo remoto restituere veterem disciplinam haud ita difficile fuit. Quod deinde a Tacito narratur Agricolam, dum Britanniae Vettius Bolanus praeesset, cupidinem rerum gerendarum coercuisse, minime eam equidem laudem contempserim vel nihili aestimaverim, sed tamen notabilem eam et memoratu dignam vix duxerim. Ac multos fuisse, qui eam ipsam modestiam Agricolae opprobrio verterent et parum honeste eum praesentis temporis desideriis inserviisse increpitarent, facile suspicere. De tertia illa

1) *Zeitschr. f. d. österr. Gymn.* 1870. p. 255.

laude non detraxerim; neque tamen obliviscendum est secundas eum legatum legionis partes egisse atque omnes res bene ab eo gestas consulari potius quam ipsi gloriam attulisse. Longe pluris aestimandum est, quod deinde a Tacito praedicatur Agricolam Aquitania provincia moderanda summam sibi laudem peperisse. Tamen quam plurimi semper a Romanis ductam esse constat laudem boni militis in illa sibi provincia non paravit: nam exercitum illis temporibus in Aquitania non locatum fuisse ex legionum tabulis cognoscimus, neque quidquam Agricolae nisi administrationem provinciae iniunctum fuisse ipsis Taciti verbis (Agr. c. 9.) edocemur, cuius officii partes etiam ab hominibus mediocribus, qui quidem aetate et usu docti essent, expleri potuisse putaverim.

In ea igitur, quam modo perlustravimus, vitae parte perpauca erant digna, quae laudibus celebrarentur. Quam vero e Britannia redux usque ad mortem Romae vitam traxit, eam miserationem potius movere quam admirationem quis est quin concedat?

Videmus igitur in illustrandis priore et posteriore vitae partibus Tacito res bene gestas, quibus enarrandis nomen soceri illustraret et celebraret, paene defuisse.

Quam vero virtutem, ut per totam vitam, ita in eis, de quibus agimus partibus illustrandis iterum atque saepius praedicat Tacitus atque quasi cumulum omnium summis laudibus effert, obsequium ac modestiam, eam ab aequalibus haud ita paucis contemptam et pro nihilo ductam atque adeo vitio ei datam esse multi viri docti suo iure annotaverunt.

Quae cum ita sint, istis vitae partibus enarrandis Tacitum id quod animo intendebat, ut Agricolam laude decoraret, assequi non potuisse apparet.

At contra in media vitae parte felicissima ei ad exornandam soceri gloriam facultas data erat atque uberrima ad illustrandas eius virtutes materia oblata.

Et belli et pacis summam sibi laudem in ea legatione Agricola paraverat.

Ex bellica laude ad primos omnium temporum duces aspiraverat. Disciplinam militarem ad priscos mores redegerat atque animos militum ad virtutis amorem fortitudinemque incenderat et sui studium et admirationem eis iniecerat.

Naturae malignitate victa ac superatis hostium copiis cum exercitu invicto imperii fines latius in dies propagaverat. Praesidiis castellisque idoneis locis munitis firmaverat ea, quae bello ceperat.

Tot tantisque victoriis reportatis usque ad ipsos Britanniae fines progressus exercitus hostium coniunctos prostraverat ac totam insulam subegerat. Magnae profecto et memoratu dignae laudes. Augebant bellicam eius gloriam clades illis temporibus in Moesia, Dacia, Germania acceptae comparantibus cunctis imperatoriam illius virtutem et expertum bellis animum cum inertia et imperitia ceterorum ducum.

Nec minorem sibi laudem paraverat pacis artibus. Invictas bello nationes societate et foedere sibi iunxerat ac sine ulla dimicatione in deditionem acceperat. Eis quae imperio populi Romani subiectae erant, iustitia ac moderatione sapientiaque iugum servitutis levaverat.

Coercuerat insolentiam magistratuum et licentiam atque iniuriis eorum vexationibusque finem imposuerat. Dispersos et vagantes provinciae incolas eo adduxerat, ut sedes stabiles et certas collocarent atque in vicos eos et urbes coegerat, feroces ac rudes eoque bello faciles quieti et otio per voluptates ac delicatiorem vitae cultum assuefecerat. Maiorem denique Britanniae insulae partem in formam provinciae Romanae redegerat.

Alteram rationem, cur res ab Agricola in Britannia gestas accuratius et uberius enarraverit Tacitus, eam fuisse putaverim, ut fastidium legentium effugeret.

Summo opere id ei agendum et moliendum erat, ut libello suo delectationem aspergeret.

Primum quidem id, quod ei propositum erat, ut socero laudis monumentum erigeret, assequi se non posse sentiebat, nisi si isti libello gratiam legentium concilia visset. Quodsi displicuisset vita, fieri non poterat , quin a paucis legeretur et mox oblivione obrueretur.

Deinde vero ob eam rem multum Taciti intererat, ut legentibus placeret Agricola, quia fore, ut quo iste liber iudicio examinatus esset, eodem animo historiae et annales acciperentur, haud nesciebat. Agricolam enim primum opus ad historicum dicendi genus pertinens edidit et unum eius generis maioribus libris historicis praemisit. Itaque prout primitiae historicae cessissent, famam ceteris fore sentiebat atque si placuisset Agricola, fore ut historiae et annales secundis animis acciperentur, sin displicuisset, sibi dimicandum fore cum

neglegentia et invidia, quae quam difficilia sint ad superandum, quis est quin intellegat.

Maxime igitur interfuit Taciti, ut vita soceri legentibus placeret.

Atque in nullo unquam libello fastidium aequalium effugere difficilius fuisse dixerim.

Primum illius temporis Romanos omnino vitarum lectione, nedum earum, quae aequalium facta moresque illustrarent, non facile delectatos esse ipsius Agricolae prooemium docet. Liber convicio Domitiani destinatus fieri non poterat, quin ab omnibus quasi devoraretur, vita honori viri paulo antea mortui destinata placebat perpaucis.

Accedebat quod duae istius vitae partes ita comparatae erant, ut nemini nisi cognatis Agricolae et amicis voluptatem legendo afferrent, priorem dico et posteriorem: nam res eis enarratas etsi ab omnibus, qui Agricolam ipsum nossent, non sine voluptate lectas esse non negaverim, tamen ceteris placuisse ut mihi persuadeam animum inducere non possum. Obsequii autem et modestiae virtutem iterum atque saepius praedicatae legentium multitudini fastidium potius quam voluptatem attulisse supra monuimus.

Maximum igitur fuisse periculum, ne liber de rebus moribusque Agricolae conscriptus displiceret Romanis, pro certo statuerim.

Unius mediae e tota vita partis enarratio ab omnibus Romanis, nisi qui ab omni politiore humanitate abhorrerent, fieri non potuisse, quin secundis auribus acciperetur, apertum et manifestum est.

Descriptionem Britanniae insulae et gentium eam incolentium aptissimam fuisse ad alliciendos legentium animos infra accuratius demonstrabimus.

Res autem gestas, naturae difficultates victas, victorias reportatas, nationes subactas, castella praesidiaque munita maximam habuisse delectationem in promptu est, praesertim cum tota ista enarratio inserviret ambitioni et gloriae Romanorum: namque Romanorum imperium armis Romanorum usque ad ipsos terrarum ac naturae fines propagatum erat.

Deinde ex eadem vitae parte enarranda ipse Tacitus summam cepisse voluptatem videtur. Ceteris vitae partibus facere non potuit, quin, cum laudaret Agricolam, accusaret saeva atque atrocia Domitiani facinora aut mores senatus populique Romani corruptos atque saeculi labem et maculam depingeret et miseram domesticae perturbationis speciem adumbraret. Ex qua enarratione quantum dolorem ceperit ipse significat ann. 4. 33 hisce verbis: 'nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus obvia rerum similitudine et satietate.' Atque idem alius locus ex annalibus desumptus probat, qui exstat libro sexto cap. 38 (44): ibi ea ratione auctor res duabus aestatibus gestas sese coniunxisse profitetur, quo requiesceret animus a domesticis malis.

Prima igitur et tertia vitae parte illustranda minimum Tacito oblectationis allatum esse patet.

At vero laudum Britannicarum illustrationem summae ei voluptati fuisse apparet. Quantopere gavisus

sit enarrandis rebus bello gestis, ex eis colligitur, quae ann. 4. 33 leguntur: 'situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum.'

Accedebat quod enarrandis istis rebus soceri dilectissimi et carissimi gloriam exornabat.

Vidimus Taciti magno opere interfuisse, ut libelli de Agricolae vita et moribus compositi gratiam apud legentes conciliaret, deinde maximum periculum censurae malivolae imminuisse, cum aequalium incuria abhorreret a vitis legendis, et duae libri partes delectarent paucos, nonnullos offenderent, uni mediae vitae parti permulta infuisse, quae omnium animos dulcedine sua tenerent et traherent, denique huius maxime partis enarratione ipsum auctorem delectatum esse. Haec omnia considerantes non mirabimur, quod mediam istam vitae partem longe omnium accuratissime Tacitus illustravit.

Sed haec tota quam instituimus argumentatio nihil explicat nisi, qua ratione ductus Tacitus in enarrandis rebus ab Agricola legato pro praetore in Britannia gestis tam longus fuerit.

Iam ad alteram disputationis partem accedamus, qua demonstrandum est, qui sit factum, ut Tacitus in illustranda illa legatione potius rerum quam vitae scriptoris partes egisse videatur.

Quod Andresen quidem ea ratione explicare conatus est, ut istam, quae est de domanda Britannia, partem iam sub Domitiano eo consilio a Tacito compositam esse statueret, qua postea in conscribendis historiis uteretur. Ei historiarum particulae post Agricolae mortem capita

1—9 et 39—46 addita esse, atque ita exstitisse eum quem nunc habeamus centonem.

Ferri non posse istam quamvis ingeniosam coniecturam cum complures viri docti luculentissime demonstraverint, gravissima eorum, quae contra eam facere videantur, argumenta proferre satis habeo. Ex quibus primo loco dignum videtur, quod Schoell[1]) monuit, se animum inducere non posse, ut scriptorem spectatissimae gravitatis et diligentiae in componendo libro honori soceri destinato et quod primum artis historicae specimen ederet, tanta usum esse temeritate statueret.

Tam graviter accusare Tacitum non licebit nisi omni rem aliter explicandi ratione adempta.

Deinde vero quo gravissimo Andresen sententiam suam firmavisse sibi videtur argumento excepto uno enuntiato nihil in omnibus illis undetriginta capitibus inesse, quod sicut ab enarrandis rebus Britannicis alienum ita ad vitam Agricolae illustrandam aptum et necessarium esset, id nullum esse demonstravit Eussner[2]).

Qua re in explicanda mediae illius partis longitudine et genere dicendi ea, qua Andresen voluit, ratione non licuerit uti.

Longe aliam viam ingressus est Güthling[3]), qui sententiam suam hoc enuntiato comprehendit: 'Tacito tum primum ad historiam accedenti haud scio an acciderit,

---

1) *Jenaer Literaturzeitung* 1874. p. 555.
2) *N. Jahrb. f. Philg.* 1875. p. 346 ff.
3) 'De Taciti Agricola.' *progr. Lignic.* 1878.

ut altius repetens alieniora arriperet, cum praesertim Agricola non esset ex eorum numero, qui in summis viris ducendi sunt.'

Novit eam explicationem Andresen atque etiam, qua ratione firmioribus argumentis munienda esset, hisce verbis indicavit: 'Man könnte annehmen, dass Tacitus zu jener Zeit, als er den Agricola schrieb, als werdender Historiker allen denjenigen Zuständen und Ereignissen, welche mit der durch Agricola vollendeten Unterwerfung Britanniens im Zusammenhange standen, ein so lebhaftes Interesse geschenkt habe, dass sich während des Schreibens in den Rahmen einer Biographie Agricolas unmerklich eine historische Monographie über die Eroberung der Insel einfügte. Das verhältnismässig jugendliche Alter des Verfassers würde dann als Entschuldigung dafür herangezogen werden können, dass er in dieser Schrift bald als Biograph, bald als Historiker entgegentritt.'

Quod contra hanc argumentandi rationem ab Andresenio prolatum est, accepta ea parum intellegi, qui sit factum, ut, cum in ceteris libelli partibus nihil insit a vita alienum, una et sola media libri pars tam multa contineat, quae ad historiam potius quam vitam enarrandam referenda esse videantur, id nullius momenti esse statuerim.

Nam illustrandis prima et tertia vitae partibus qui fieri potuerit, ut vitae scriptoris et historici partes inter se permutarentur, prorsus non intellegitur. Qua quidem ratione, ut exemplo, quid velim, illustrem, adduci potuisse Tacitum putaveris in enarranda Agricolae educa-

tione, ut orationi suae immisceret res ad historiam potius quam vitam pertinentes? At contra in legatione Britannica illustranda facillime ei accidere potuit, ut res ad domandam potius Britanniam pertinentes quam ad soceri vitam in medium se proferre non sentiret. Nam quaecunque de subigenda insula narrantur, eadem ad vitam eius, qui subegit eam, pertinent.

Quod deinde languidam esse illam explicationem et in qua acquiescere non libeat, arbitratur, equidem quaecunque offendere in vita enarranda videantur, ea omnia ista ratione orta esse non statuerim, sed tamen prorsus eam reiciendam esse nullo pacto concesserim.

Tacitum tunc primum a causis agendis ad historiam conscribendam accedentem in enarranda Agricolae vita longe afuisse ab ea orationis historicae elegantia et expolitione, qua emineant et excellant historiae et annales, constat inter homines doctos. Itaque nullam causam video, cur Agricolam perfectae et absolutae artis biographicae specimen habendum non esse statuere vereamur, nec nonnulla eorum, quae aut a vita prorsus abhorrere aut ita comparata esse videantur, ut potius res Britannicas quam vitam Agricolae illustrent, ex eo orta esse dicere dubitaverim, quod Tacitus leges vitae enarrationi praescriptas laeserit. Libellum suum non liberum esse ab omnibus vitiis ipse videtur sensisse atque ea ex re vocem inconditam ac rudem capite tertio excusavisse. Quantopere autem imperitiae suae ac ruditatis sibi conscius fuerit, luculentissime apparet ex eo, quod in componendo libello complures scriptores imitatus atque eorum vestigia haud raro presse secutus

est [1]). Quae cum ita sint, libellum, de quo dicimus, perfectum atque omnibus numeris absolutum esse cur statuamus, nullam causam video nec quae offendunt in eo legendo, nisi aliam et eam probabiliorem originis explicationem invenerimus, pro vitiis ducere dubito. Quod vero in eo maxime peccavit Tacitus, quod interdum potius res in Britannia insula gestas quam vitam soceri videtur enarravisse, non mirabimur, si rerum scriptores eum in illustranda ea parte imitandos sibi proposuisse memoria tenemus [1]).

Accedit quod eo, quo ad illustrandam soceri vitam accederet, tempore Tacitum aut perscriptam habuisse historiam rerum Britannicarum aut certe materiam et copiam uberrimam sibi seposuisse, quam postea in conscribenda ea exornaret et perpoliret, ex eis, quae Andresen l. l. p. 13..14 disseruit, apparet. Id igitur Tacito in enarranda legatione Britannica agendum erat, ut ex prompta et parata rerum silva reiectis eis, quae, quamvis ab enarrandis rebus Britannicis non aliena, ad vitam Agricolae illustrandam parum pertinerent, ea eligeret, quibus in vita enarranda locus esse videretur, ac totam orationem vitae enarrationi accommodaret. Qua in re facillime ei accidere potuisse, ut aut res ab Agricolae gestis moribusque remotiores in opusculum suum transferret aut narrandi rationem convenientem illam historiae, non vitae illustrandae mutare neglegeret, quis est, quin concedat.

---

1) Cf. Eussner, *Blätter f. d. bayr. Gymn.- u. Realschulwesen* 1877 p. 145 ff.

Sed haud scio an vitium illud coniunctae cum vita rerum memoriae cur saepius commiserit, etiam aliam rationem liceat afferre.

Quod accidit Tacito in colligenda ad res Germanicas enarrandas materia, ut tam uberem rerum copiam conficeret, quam in ea, quam conscriberet historia, totam intexere sibi non licere sentiret, idem expertum eum esse in incohanda Britanniae perdomitae historia statuerim: crescebat in dies ei materies, quippe quam soceri relationes narrationesque uberrimam suppeditarent, ac postremo tanta exstitit rerum silva, ut multo minori earum parti in historiis locum fore intellegeret. Atque cum fere omnia ea, quae collegisset, ad soceri laudes illustrandas pertinere sibi persuaderet, studio illas res in medium proferendi haud raro adductus videtur esse, ut res a vita illustranda alieniores narrationi suae insereret.

Denique haud ita pauca eorum, quae a iusta veraque vita remotiora esse non ignoraret, ob eam rem in libellum suum videtur recepisse, quia magnam habere delectationem sibi persuasisset. Hac ratione videtur adductus esse, ut descriptioni Britanniae insulae et incolarum eius haud pauca insereret, quibus delectarentur legentium animi. Eodem referendam esse fugam Usiporum infra accuratius disseram. Eodem denique loco nonnulla eorum duxerim, quae Andresen l. l. p. 6. 7 notavit, ut ea, quae de Hibernia cap. 24 dicuntur, Auli Attici mortem, alia.

Postremo vero vitae enarrandae illo, quo Agricola editus est, tempore fines et termini non ita certi con-

stituti erant, et rerum gestarum enarratio cum vitae illustratione haud raro coniungebatur[1]).

Singula ea omnia, quae a iusta veraque vita abhorrere videantur, exsequi ac, qua ratione in libellum irrepsisse videantur, exponere longum est. Accedit quod in eadem re complures plerumque rationes explicandi institui possunt, quarum quae sit maxime probanda, difficillimum est ad diiudicandum.

Pauca tamen ex eis, in quibus Andresenium offendisse supra memoravimus, accuratius tractare liceat.

Ordiamur ab excessu illo, quem enarrationi rerum ab Agricola in Britannia gestarum de insula atque eius incolis Tacitus praemisit.

Eum a vita enarranda prorsus alienum non esse facile est ad intellegendum.

Nam cum id quam studiosissime ageret Tacitus, ut eis, qui vitam legerent, maximam sibi Agricolam in Britannia laudem peperisse ac dignissimam memoratu persuaderet, facere non potuit, quin primum eam terram, in qua istas res gessisset, describeret atque earum gentium, quas bello vicisset et in ditionem potestatemque populi Romani redegisset, indolem ac mores illustraret, praesertim cum istas regiones gentesque multitudini parum notas esse non nesciret: nulla alia ratione assequi eum potuisse statuerim, ut legentibus, quanti aestimandae essent illae res gestae, perspicuum faceret.

Offenderunt interpretes in eo, quod in ista descriptione Tacitus tam longus fuerit.

---

1) Urlichs, Commentatio de vita et honoribus Taciti. Wirceburgi 1879. p. 20.

Iam apud Woltmannum[1]) haec leguntur: 'Die Beschreibung Britanniens und seiner Völker, wie der Zeiten, ehe Agricola diese Provinz übernahm, nimmt nicht nur gleichen, sondern beinahe noch einmal so viel Platz ein, als die Darstellung seiner Bildungsgeschichte und seines ganzen Lebens bis zu diesem Zeitpunkt. Viel mehr scheint die Insel Britannien die Hauptfigur zu sein, als Agricola, und macht diesen Eindruck um so mehr, weil das Gemälde von ihr schon ein prächtiger Beweis ist von der bewunderungswürdigen Kunst des Geschichtsschreibers, Geographie so zu lehren, dass die Länder wie mit einer Persönlichkeit vor uns stehen. In seinen umfassenden historischen Werken, wo die grosse Masse der Thatsachen und besonders der Umstand, dass dort nach Anlage des ganzen keine besondere Gattung derselben ein Recht auf eine ausführlichere Darstellung hat, die Gemälde der Länder einen bedeutenderen Platz wegnehmen durften, entwirft er sie dennoch mit enger zusammengedrängten Zügen, als hier die Schilderung Britanniens in einem kleinen Werke, das einen einzigen Mann verewigen, eine einzige menschliche Persönlichkeit uns anschaulich machen soll.'

A recentioribus etiam id notatum est, quod haud pauca in isto excessu insunt, quibus in historia locus videatur esse, non in vita.

Ea ratione nodum expedire, ut Tacitum ad morem inter aequales receptum se accommodasse statuam, parum placet.

---

1) *Werke von Cajus Cornelius Tacitus deutsch mit Abhandlungen u. Anmerkungen von Karl Ludwig v. Woltmann.* vol. VI.

Ac ne eo quidem descenderim, ut inscium eum atque quasi invitum peccavisse coniciam.

Quamquam facile id ei accidere potuisse vix quisquam negaverit.

Nam utique talem excursum necessarium fuisse supra exposuimus. Prompti erant commentarii, crebri illi quidem rerum frequentia, sed quos eo consilio conscripserat, ut eis in historiis componendis uteretur. Itaque facillime eum abduci potuisse, ut res a vita alieniores in libellum suum transscriberet, manifestum est.

Accedit quod in componendo isto excessu presse eum rerum scriptorum vestigia secutum esse constat, qui, quoties novam aliquam gentem in scenam producebant, ingenium eius moresque ac terrae situm naturamque quam accuratissime describebant, immiscere, quae ad res ibi gestas illustrandas parum pertinerent, non recusantes.

Tamen consulte eum et cogitate egisse crediderim.

Cum enim de Britannia insula atque incolis eius utique ei praefandum esset, ab animo impetrare non potuisse videtur, quin brevi et vitae apto excursui et cui nihil inesset nisi quod ad intellegendas aestimandasve res ab Agricola gestas necessarium esset, substitueret descriptionem insulae et incolarum perfectam et omnibus numeris absolutam.

Accedebat quod, quo plenius atque uberius insulae situm et naturam atque ingenium et mores Britannorum describeret, eo majorem se omnibus voluptatem allaturum esse ei constabat: insula sub ipsis septentrionibus sita, Thules fabulosae vicina, mare pigrum et remigan-

tibus grave, nocturnus solis fulgor, feroces et incorruptae gentes, nova ea omnia et mira Romanis erant et delectationis plena.

Ac quamvis multi de Britannia insula et gentibus eam incolentibus exposuissent, longe superari ea omnia isto Taciti excessu constabat Romanis.

Quae a prioribus rerum scriptoribus de eis rebus enarrata erant, ea parum fidei auctoritatisque habere nemo erat, qui nesciret.

Unus Caesar insulam coram viderat ac, quae ipse oculis comperta habebat, enarraverat. Sed is solam eam insulae partem adierat, quae ad meridiem spectat. De interioribus et septentrionalibus insulae partibus omnes aut nullam aut incertissimam notitiam habuerant. Quae de istis regionibus retulerant, fere nulla erat in eis auctoritas: nondum comperta, ut Taciti verbis utar, eloquentia percoluerant.

Nec fidem adiunxisse eo, quo libellus editus est, tempore Romanos istis descriptionibus facile conieceris. Nam eorum, qui Britanniam insulam mercatores vel milites vel magistratus pernoverant, permulti illis temporibus Romae erant, quorum narrationibus fieri non potuit, quin scriptorum relationes quantopere a rerum fide abhorrerent, divulgaretur.

Vera tamen et falsa inter se discernere atque insulae et incolarum imaginem certam et expressam cogitatione fingere perpauci videntur potuisse.

Nam ex eis, qui in Britannia fuerant, sat multi minorem insulae partem et unam sive perpaucas gentes noverant. Accedebat quod plerique, ut voluptatem nar-

rationibus suis aspergerent aut rerum a se gestarum laudem in maius augerent, terrae coelique miracula atque incolarum ferociam verbis exaggerabant ac ficta potius quam visa narrabant.

Ne multa: exiguam fidem tribuendam esse eis, quae exstabant, descriptionibus insulae constabat inter omnes, quid esset pro vero accipiendum, quid reiciendum, perpauci discernebant.

Eo pleniorem fuisse delectationis eum, de quo agimus, excessum Taciti recte collegeris. Nam Tacitus ea omnia, quae de Britannia insula et eius incolis tradebat, ab Agricola socero acceperat, qui cum per septem annos insulam obtinuisset ac singulas deinceps eius partes subegisset, fieri non potuit, quin magnitudinem eius, formam, situm, caelum, proventum itemque incolarum originem atque ingenium non solum multo melius quam priores scriptores, sed etiam optime omnium, qui tunc erant, hominum novisset. Ac si quando ab Agricola de aliqua re cognitione digna edoceri non poterat, facile tamen ab eo comperiebat, quibus auctoribus certissimis et locupletissimis uteretur. Itaque quaecunque a Tacito in isto excessu referebantur, cum omnibus gravissima et certissima viderentur, fieri non potuit, quin pronis auribus acciperentur.

Ceterum omittendum non est quaecunque isto excursu contineantur atque adeo ea, quae primo obtutu a vita Agricolae remotissima videantur, tamen, si accuratius rem perpenderis, ad id quod sibi proposuit Tacitus, ut soceri nomen celebraret, pertinere.

Nam quaecunque de insula et eius incolis edocebat

Romanos, Agricolae omnia accepta referebat: ita Britannia insula describenda Agricolae laudem illustrabat.

Denique id egisse Tacitus videtur, ut, qua ratione in majoribus operibus historicis gentes et terras describere in animo haberet, specimen omnibus numeris absolutum proponeret. Nam in historiis et annalibus, quotiescunque novam et eam insigniorem gentem induceret, recepto inter veteres rerum scriptores more de ea gente et eius patria praefandum sibi fore haud nesciebat. Itaque plurimum eius intererat, ut, placeretne ea, quam in fingendis istis excursibus ingressurus esset, ratio, usu cognosceret et comperiret.

Transeamus ad eum, qui inde a capite tertio decimo sequitur, excessum res ante Agricolae legationem in Britannia gestas continentem.

Non minus eum ad res ab Agricola in Britannia gestas intellegendas et recte aestimandas necessarium esse statuerim, quam illum, de quo egimus, geographicum. Illustrandum fuisse Tacito eum Britanniae statum, quem Agricola, cum provinciam acciperet, invenerit, antequam res ab eo ibi gestas enarraret, quis est quin concedat. Neque enim ulla alia ratione assequi videtur potuisse, ut ei, qui librum legerent, quae Agricola in administranda aut subigenda insula consilia cepisset, eorum rationes perciperent et intellegerent. Ac multa conferre ea, de quibus agimus, quinque capita ad illustrandum istum statum facile intellegitur.

Deinde vero idcirco res a prioribus ducibus in Britannia gestae sub unum quasi conspectum Romanis subiciendae erant, ut comparando, quantopere Agricola

omnes exsuperavisset, manifestum fieret. Edocendo, quantulum ante Agricolam tot annis in subigenda insula profectum esset, omnibus persuadebatur, quam difficilis et ardua fuisset insulae expugnatio et quanti aestimandae essent res ab Agricola gestae.

Praecipue ea, qua Agricola peritissimum semper se praebuerat, ars fines imperii Romani pacis consiliis muniendi ac propagandi praemissis istis quinque capitibus elucebat atque eminebat: belli laude ex eis, qui antea insulam obtinuerant, haud ita pauci floruerant, pacis artibus belli virtutem unus Agricola adaequaverat.

Ne in ea quidem re offendendum est, quod res a Suetonio Paullino gestae plenius atque uberius enarrantur.

Nam primum uberrima Tacito materia praesto erat, quippe qui a socero cuncta procul dubio edoctus esset.

Deinde Paullinus ceteros omnes legatos, qui Agricolam antecesserant, virtute imperatoria longe superaverat ac res ab eo gestae omnium memoriam obscuraverant.

Ac plenam delectationis fore istarum rerum enarrationem bellicosis Romanorum animis per se patebat, praesertim cum optimo Tacitum usum esse auctore Agricola inter omnes constaret.

Accedit quod illustranda splendidissima illa Suetonii Paullini legatione res ab Agricola legato in Britannia gestae clarissima luce circumfunduntur.

Ac primum summis laudibus extolluntur Britannorum fortitudo et amor patriae, ut qui, quamquam per duos annos Suetonii Paullini virtutem imperatoriam ac praestantiam armorum Romanorum tot proeliis experti erant,

tamen prima occasione oblata odiosissimum servitutis iugum a cervicibus suis deicere conarentur.

Tantam ferociam infringere et debellare tam fortes gentes arduum profecto erat et laude dignissimum.

Deinde res a Paullino, peritissimo illo et praeclarissimo imperatore, gestas ab Agricola prorsus obscuratas esse facile apparet: Paullinus paucas insulae gentes armis subegerat, subactas iugo Romano non assuefecerat: Agricola omnes Britannos debellaverat, nec longe afuerat quin in provinciae formam totam insulam redigeret. Paullinus militiae peritus, Agricola magnus bello nec minor pace exstiterat.

Denique ne omittamus Agricolam Suetonii Paullini auspiciis rem militarem didicisse. Ita ea legatione enarranda non solum legatio Agricolae celebratur sed etiam prima eius militia, non neglegenda vitae pars, quae capite quinto levius adumbrata erat, copiosius et abundantius illustratur.

Explicantur et probantur ea, quae in fine capitis quinti exstant: 'quae cuncta . . . . . artem et usum et stimulos addidere iuveni intravitque animum militaris gloriae cupido ingrata temporibus' eqs.

Quae cum ita sint, quod Tacitus, antequam legationem Agricolae enarravit, res antea in Britannia insula gestas brevi in conspectu posuit atque Paullini legationem paullo accuratius illustravit, id minime mirum videtur.

Rectius disputata esse videntur, quae apud Andresenium l. l. p. 6. inveniuntur: 'Besonders auffallend ist in diesem Abschnitte die Ausführlichkeit, mit welcher die Motive der während der Verwaltung des Suetonius Paul-

linus erfolgten Erhebung der Britannen wiedergegeben werden.'

Fere idem jam Heldius[1]) sensit, apud quem haec leguntur: 'Tam copiosa transactae aetatis rerum descriptione symmetriae, quae artifici perito observanda est, leges violatae esse videntur ..... Ac mea quidem opinione non iam ea, quae temporibus Suetonii Paullini, quem deinceps in provinciae imperio Petronius Turpilianus, Trebellius Maximus, Vettius Bolanus, Petilius Cerialis exceperunt, Britanni senserint cogitarintve, sed potius quae sub Agricolae introitum in provinciam et per septem annos, quibus adversus ipsos bellum gessit, mente agitaverint, accurate enarrari debebant.'

Fateor me, quid sibi voluerit Tacitus ista verbositate, non prorsus intellegere. Sed tamen pauca ad explicandam eam afferre liceat.

Primum eam, quam capite undecimo adumbravit, indolem animi ingeniique populi Britannici accuratius describit et ardentem eius patriae amorem atque acerbissimum iugi servilis odium illustrat.

Deinde vero totum illud caput quintum decimum etsi primo loco ea pericula illustrat, quae Suetonius Paullinus Monam insulam aggressus subibat, idem tamen, quantam Agricola rem ausus sit, indicat, cum bellum in septentrionales insulae regiones transferret. Nam eaedem causae, quae sub imperio Paullini Britannos ad rebellandum commoverant, eos incitabant, ut contra Agricolam arma moverent et eum a tergo adorirentur.

1) Comm. de Cn. Julii Agricolae vita, quae vulgo Cornelio Tacito adsignatur. Scripsit Julius Held. Suidnicii 1845.

Itaque ne haec quidem quae capite quinto decimo continetur rebellionis causarum expositio prorsus abhorrere a laude Agricolae videtur.

Multo etiam difficilius fugam illam Usiporum qua ratione ductus vitae soceri inseruerit Tacitus, ad explicandum videtur esse.

Ac Walchius quidem ea nuntiata adductum esse Agricolam, ut classe circummissa insulam esse Britanniam haud dubium relinqueret, satis ingeniose coniecit; praeterea interposita illa digressione narrationem iucunde variari atque animum legentium redintegrari.

Quarum sententiarum priorem non acceperim.

Nam Tacitus, si nuntio illorum errorum socerum eo adductum esse comperisset, ut Britanniam circumveheretur, facere non potuit, quin id diserte et plane diceret.

Quam alteram Walchius interpretationem profert, ea magis probanda videtur atque ab hominibus doctis haud ita paucis, ut a Gantrellio, accepta est.

Haud scio an ipse Tacitus, qua ratione ductus illam fugam narrationi suae inseruerit, significavisse videatur, cum magnum id ac memorabile facinus appellaret: ab animo impetrare non potuit, ut errores tam miros atque tot periculis insignes silentio praeteriret.

Accedebat quod hac digressione omnes, qui eam legerent, fore ut maxime delectarentur sperare poterat.

Nam qua re magis tenentur ac trahuntur multitudinis animi quam enarratione seditionum, errorum, esarum humanarum carnium, pugnarum atrocium, captivitatum?

Diversissimos autem et falsissimos per urbem rumo-

res de illo facinore dispersos fuisse facile suspiceris, quod ab omnibus in maius auctum et quomodo esset factum ab alio alia ratione narratum esse videtur. Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin omnes ista Taciti enarratione certissimis auctoribus nixa non mediocriter retinerentur.

Ceterum nescio an etiam hanc digressionem, quam primo obtutu a vita illustranda remotissimam videri non negaverim, tamen si diligentius inspicias, ad laudem Agricolae celebrandam pertinere concedendum sit: illustratur illa fuga, qualis fuerit exercitus, cui in Britannia Agricola praeerat, quodque Calgacus in media orationis suae parte praedicavit fidem Romani exercitus, ut qui ex diversissimis gentibus contractus esset, esse infirmissimam, id temere eum et ex vano non finxisse edocemur.

Eo digniores admiratione videntur res ab Agricola in Britannia gestae: qui cum tali exercitu tot tantasque victorias reportaverit, quanta eius virtus imperatoria existimanda est!

Restat ut de orationibus Agricolae et Calgaci pauca addam.

Non id egisse Tacitum, ut ipsa verba ante pugnam ad Graupium montem commissam a ducibus facta redderet, sed in eodem genere istas orationes ponendas esse atque eas, quales apud Caesarem, Livium, Sallustium inveniamus, constat inter homines doctos.

Ac praecipue eo videntur pertinere, ut belli rationes, quales fuerint ante ultimam dimicationem, illustrent.

Iterum atque saepius universae rei dimicationem ap-

propinquare monemur. Victis Romanis fore, ut non solum totus eorum exercitus ad internecionem caedatur, sed etiam tota Britannia amittatur.

Huc referenda sunt verba Agricolae, quae sunt: 'fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia.' Eodem pertinent, quae paulo infra leguntur: 'incolumitas ac decus eodem loco sita sunt.'

Etiam fortius eandem sententiam invenimus in oratione Calgaci expressam: 'nec quicquam ultra formidinis, vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia.'

Contra victoria Romanorum armis reportata fore, ut bellum conficiatur atque tota insula debelletur, et Agricola gravissime praedicat, cum in fine orationis suae haec dicit: 'transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem' eqs. et Calgaci verba significant, quae sunt: 'nullae ultra terrae . . . sed nunc terminus Britanniae patet, nulla jam ultra gens' eqs.

Ea autem oratione, quam Calgaco tribuit, Tacitus etiam id videtur egisse, ut quanto ante pugnam peiore loco fuissent res Romanorum quam Britannorum dilucide explanaret et illustraret.

Primum non cum una gente sed cum coniunctis Britannicarum civitatum copiis dimicandum fuisse verba monent, quae leguntur capite tricesimo: 'consensum vestrum' et capite tricesimo altero: 'nostris illi dissensionibus ac discordiis clari' eqs.

Deinde nobilitas et virtus copiarum Britannicarum

etiam atque etiam celebrantur ('universi servitutis expertes . . . quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium litora aspicientes oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus . . . . virtus porro ac ferocia . . . quibus gloria carissima est . . . . integri et indomiti').

Denique nulla Britannis in fuga spes relicta erat: aut victoria gloriosissima reportanda erat aut servitus indignissima subeunda, atque ea, quae carissima sunt hominibus, defendebant: libertatem, patriam, parentes, uxores, liberos ('necessitatem nostram . . . nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum . . . proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt . . . . terminus Britanniae patet, nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris'). Eodem denique pertinet servitus maxime horridis coloribus depicta.

Postremo qui vir et quantus fuerit Calgacus, ista oratione edocemur; videmus ardentem patriae et libertatis amorem, acerbissimum Romanorum odium, animum indomitum atque impavidum.

Contra ea, quae in exercitu Romano imbecilla erant, luculentissime illustrantur: paucitas militum (c. 32 'paucos numero'), locorum ignorantia ('locorum trepidos ignorantia caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes'), ambigua auxiliorum fides ('quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent' eqs; 'in ipsa hostium acie inveniemus nostras manus' eqs).

Omnia igitur, ut breviter ea, quae disseruimus, complectamur pro Britannis fuisse in illa ultima dimicatione oratione Calgaci edocemur.

Itaque parum attinere eam ad laudem Agricolae celebrandam nullo modo concesserim. Nam quanto proelium maioris periculi, tanto insignior victor erat.

Ea denique, quam Agricolam habentem facit Tacitus, oratione imperatoriam eius virtutem illustrat atque res ab eo usque ad illum diem gestas unum in locum cogit: victas naturae difficultates, fusas et fugatas hostium copias, inventam Britanniam et subactam.

Ne multa: eas res, quas illae orationes continent, non ita remotas esse ab eo, quod secutus est Tacitus in Agricola conscribendo, consilio apparet.

Sed fortasse id quaerendum est, cur ad exprimendas eas sententias forma orationis usus sit et cur in confingendis istis orationibus tam longus fuerit.

Ac primum quidem secutus esse rerum scriptorum morem videtur, qui fere semper ante pugnam describendam utriusque exercitus ducem contionabundum inducunt. Eo vero libentius eum morem servavit, quia delectari ea narrationis variatione ac redintegrari legentium animos sentiebat.

Deinde Tacitum usque ad illud tempus, quo ad vitam soceri illustrandam accederet, in foro et orationibus occupatum fuisse ac primis eum illius aetatis oratoribus annumeratum esse negligendum non est.

Itaque si, quaecunque daretur, occasionem orationes libello suo inserendi arripuit, non mirabimur: nam cum in illustrandis rebus gestis quasi peregrinus atque hospes

esset, adeo ut excusare vocem inconditam ac rudem non dedignaretur, fieri non posse confidebat, quin orationes enarrationi intextae omnibus numeris absolutae et plenae delectationis viderentur.

Eadem ratione, cur tam longus fuerit in istis orationibus componendis, explicatur.

Aliam et eam valde probabilem istius longitudinis explicationem apud Urlichsium[1]) inveni, cuius verbis afferendis disputationi meae finem imponere liceat: 'cum enim usque ad susceptam Britanniae administrationem narratio properaverit, in expeditionibus Agricolae describendis remissiore cursu processerit, in culmine gloriae atque laudis ita immoratur, ut quasi invita inde ad exitum viri egregii ac dominationem saevissimam principis descendat.'

---

1) Commentatio de vita et honoribus Agricolae. Wirceburgi 1868. p. 6.

PHILIPPUS PAUER
DE VITA SUA.

Natus sum anno h. s. LII die VII mensis Junii in vico prope Hildesiam urbem sito, cui nomen est Hohen-eggelsen, patre Wilhelmo Pauer praefecto conventus iuridici, matre Antonia e gente Bock de Wülfingen. Fidei addictus sum evangelicae. Patrem amisi quinque annos natus, matrem adhuc vivam pio gratoque animo veneror.

Primis literarum elementis imbutus gymnasium Gottingense adii, quod per undecim annos et dimidium frequentavi. Maturitatis, quod vocant, testimonio instructus inter cives academiae Georgiae Augustae receptus sum. Per septies sex menses Graecorum, Romanorum, Germanorum literis operam dedi et hosce viros clarissimos et doctissimos audivi: Hirschfeld, de Leutsch, Lotze, Müller, Sauppe, Wachsmuth. Seminarii philologici et societatis germanicae per tria semestria sodalis de Leutschii, Sauppii, Wachsmuthii, Mülleri doctrina usus sum, quibus omnibus viris maximam me semper gratiam habiturum esse profiteor.

Inde a vere anni h. s. LXXIII per tria semestria Regii seminarii paedagogici sodalis ad magistri munera

a peritissimo et benevolentissimo in arte educandi doctore Schoeningio, gymnasii Gottingensis rectore, instructus et hypodidascali officio functus sum. Militiae deinde anno finito atque examine, quod vocatur pro facultate docendi, superato inde ab auctumno anni h. s. LXXV in eodem gymnasio literarum elementa tradidi, donec odiosissimo morbo pulmonis implicatus partes carissimi officii deserere coactus sum.

Inclinata iam in melius valetudine a vere anni h. s. LXXIX in hac academia Georgia Augusta munere quaestoris benignitate professorum mihi mandato idemque secretarii vice fungor.
